Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

cum servis suis. Familiare est Syris et maxime pa
lestinis ad omnem sermonem suum parabolas
iungere, ut quod simplex praeceptum teneri ab audi
toribus non potest, per similitudinem exempli teneatur.
Praecepit itaque Petro sub comparatione regis et
domini et servi, qui debitor decem milium talentorum
a domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque
dimittat conservis suis minora peccantibus. Si enim
ille rex et dominus servo debitori decem milium talen
torum tam facile dimisit, quanto magis servi conservis
suis debent minora dimittere. Quod ut manifes
tius fiat dicamus sub exemplo. Si quis nostrum commi
serit adulterium, homicidium, sacrilegium, maiora
crimina decem milium talentorum rogantibus dimit
tantur, si et ipsi dimittant minora peccan
tibus. Si autem ob factam contumeliam simus implacabiles
et propter amarum verbum perpetes habeamus discordi
as, Nonne nobis videmur recte redigendi in car
cerem et sub exemplo operis nostri hoc agere ut ma
iorum nobis delictorum venia non relaxetur. Oblatus
est ei unus qui debebat decem milia talenta. Scio
quosdam istum qui debebat decem milia talentorum diabo
lum interpretari, cuius uxorem et filios venundatos perse
verante illo in malitia, insipientiam et malas
cogitationes intelligi volunt. Sicut enim iusti ux
or dicitur sapientia, sic et uxorem iniusti et pecca
toris appellari stultitiam. Sed quomodo ei dimittat dominus
decem milia talenta et ille nobis conservis suis cen-